

hac ipsa speciali applicatione viuere se et salutem habere testati sunt. Gal. 11, 20.

§. 21. Contritionem pariter fidemque prodit tanquam *fructus et effectus noua obedientia*, quae si absit, indubitatum indicium est, contritionem non veram, sed fucatam, nec viuam fidem, sed mortuam fuisse. Est autem noua obedientia propositum abstinendi a peccato et studendi meliori vitae, quae poenitentiam insequitur. *Probatur*

*Noua obedientia est fructus poenitent.*

I. *A descriptione poenitentiae in Scriptura usitata.*

Quoties enim poenitentia nobis iniungitur, simul iubemur abstinere a peccato et meliori vitae operam dare. Quippe quibus omnium euidentissime testemur, nos vere de peccatis commissis dolere. Es. I, 16. 17. Ezech. XXXIII, 11. seq. Apoc. II, 5.

II. *A natura poenitentiae*, quae cum, qua priorem partem suam, sit contritio de peccatis, impossibile est, hanc contritionem seriam esse, nisi homo poenitens de peccatis remittat. Cum vero eadem poenitentia secundum posteriorem partem sit fides merito CHRISTI nixa, impossibile est, pro tanto beneficio hominem non studere virtuti, vnde et fides per charitatem operosa esse dicitur. Gal. V. 6.

III. *Ab exemplis eorum*, qui poenituerunt. Hi enim vitam suam in melius mutarunt semper, vtpote *Dauid*, *Petrus*, aliique in Scriptura recensiti, Luc. XV, 18. 19.

§. 22.